



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio Practica ...

Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

De SS. Missæ Sacrificio Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo - Unà
cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XV. De Evangelio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48307](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48307)

TITULUS XV.

DE EVANGELIO.

Ritus Communis.

I. **D**um ante Evangelium dicit *Munda cor meum*, meminerit oculos sursum levare, & manus ante pectus junctas, non in Altari positas tenere. Dicat etiam Domine, non *Domne*, quia non ab homine, sed à DEO petit benedictionem. Bauldrius p. 3. tit. 6. n. 1. & expressè id ipsum insinuant Rubricæ Missalis §. 7. n. 2. licet in ordine Missæ per errorem Typographi dicere jubeatur: *Iube Domne benedicere*.

II. Dum signatur Cruce liber super principio Evangelij, quod legendum erit, sinistra manus libro apponi debet, quia non est benedictio libri, sed signatio tantum: hinc etiam tam libri, quàm Celebrantis in fronte, ore, & pectore signatio fit pollice tantum, & non primis duobus digitis, ut multi faciunt. Gavant. p. 2. tit. 6. lit. O.

III. Finito Evangelio, Sacerdos elevato parumper libro osculatur principium Evangelij, quod lectum est, & dicit *Per Evangelica dicta* &c. In Missa Defunctorum omittitur osculum libri, & verba prædicta.

IV. Ad nomina **JESU**, **MARIÆ**, aut Sancti, de quo est Officium, aut Commemoratio, caput versùs librum inclinatur, sicut & genuflectit versùs librum, si in Evangelio genuflectendum est.

V. Evangelium respondens Officio, vel legendum est nobiliori loco, vel omnino omittendum. Idcirco in votivis semper dicitur Evangelium S. Joannis. Gavant. p. 1. tit. 13. lit. V. Etiam si contingat die Dominica votivam dici.

Ritus Solemnis.

I. Etiam in solemnibus Missis à Celebrante Evangelium submissè dici convenit, uti expressè iterum Rubricæ p. 2. tit. 6. n. 5. monent, nec quoad hoc Cæremoniale Episcoporum dissentit, licet Authores tit. 13. n. 1. citati iterum putent rectè id audiri, quàm legi.

II. Postquam dixit *Munda cor meum*, accedit ad cornu Evangelij, ibique Evangelium legit, in fine tamen non osculatur

latur librum, nec dicit: *Per Evangelica dicta*, si quidem Diaconus & Subdiaconus adsint. Lecto Evangelio redit ad medium Altaris, & ubi Diaconus cochlear pro thure imponendo porrigit, imponit thus, & more solito benedicit. Postquam verò Diaconus benedictionem petijt, conversus ad illum dicit manibus junctis: *Dominus sit in corde*, & cum dicit, *in nomine Patris*, sinistra pectori admoda, signum Crucis dextrâ super Diaconum facit, eandemque super librum extensam deosculandam porrigit, etiamsi Ven. Sacramentum in Altari sit expositum, ut supra tit. 3. de Epistola ex Gavanto dictum est. Inde ad medium reversus, postquam Diaconus cantavit *Dominus vobiscum*, factâ Cruci reverentiâ, ad cornu Epistolæ se retrahit, & ad Diaconum vertit, signans se Cruce cum eodem in fronte, ore, ac pectore; & quando cantatur nomen JESUS, profundè versùs Crûcem; si verò nomen MARIAE, aut Sancti, de quo Officium celebratur, aut Commemoratio facta est, versùs librum se inclinat. Quòd si flectendum sit ratione Evangelij, ipse versùs Altare flectit. Post Evangelium ubi Subdiaconus librum apportaverit, ipse ambabus manibus eum contrectans, aliquantulum inclinat, osculatur, & dicit: *Per Evangelica dicta*, seque incensari à Diacono permittit, quod tamen utrumque non fit in Missa pro Defunctis, nec quando unus vel plures Prælati Missæ intersunt, tunc enim vel ipsi Prælato, si solus sit; vel si plures & æquales fuerint, nulli osculandus offertur, nec quisquam incensatur ex illis. Bauld. p. 4. tit. 6. n. 3. Dubitârunt tamen hoc loco nonnulli, an non Venerabili exposito perinde ad incensationem Celebrans in planum descendere debeat, sicut ab initio ante Introitum descendit. Sed respondendum videtur, non debere eum descendere, eò quòd hîc aliàs osculari debeat librum à Subdiacono oblatum, adeoque statim etiam in eodem loco consistens incensationem admittere possit, uti communis praxis habet, & ipsi Rubricistæ satis confirmare videntur, qui nullam de simili descensu mentionem faciunt.

* * *

TITU-